



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones Benedicti XIV. ab initio Pontificatus usque ad  
Annum 1746

**Luxemburgi, 1752**

XL. De Clausura Monialium: Confirmantur sanctiones Ecclesiasticæ, antea  
editæ: Revocantur facultates extraordinariæ permittendi ingressum, &  
egressum è Monasteriis. 3. Januarii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74696](#)

1742.  
Transumptis  
fidem tris  
buuit.

Dat. die 3.  
Januar. 1742.

**S. 9.** Volumus autem, ut carumdem praesentium literarum transumptis, exemplis, etiam impressis, manu aliquo Notarii publici subscriptis, & Sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constituta munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra illud ubique locorum habetur, quæ haberetur ipsi presentibus, si forent exhibita, vel ostensa;

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die tertia Januarii millesimo septingentesimo quadragesimo secundo, Pontificatus Nostri Anno Secundo.

D. Cardinalis Passioneus.

Public. die 4. ejusdem Mensis, & anni.

XL.

De Claustra Monialium. Confirmantur Sanctiones Ecclesiasticae, antea editæ. Revocantur facultates extraordinariae permittendi ingressum, & egreßum è Monasteriis.

### BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

Exacta Mo-  
nialium  
Clauſura  
ſemper in  
Eccleſia fer-  
vata fuīt.

Relaxatio  
hujus diſci-  
plinae ab ali-  
quibus in-  
vecta.

Pontifex  
confirma  
Prædeceſſo-  
rum Conſti-  
tutiones.

**S. ALUTARE** in Catholica Ecclesia institutum, ab ipso antiquitate suscepimus, ac tanta cum follicidine & pastorali zelo custoditum, ut flos ille Ecclesiastici germinis, decus, atque ornamentum gratia spiritalis, lata indoles, laudis & honoris opus integrum, atque incorruptum, Dei imago respondens ad sanctimonianam Domini, illustrior portio gregis Christi, Sacrae Virgines, quarum, quo sublimior gloria est, major & cura est, intra Monasteriorum septa, & clauſtra vigili follicitate custodia serventur, tam ante, quam post Tridentinæ Synodi Decreta, Romani Pontifices Prædecessores nostri tot sanctissimis Legibus, & initis Apostolicæ providentie caritatifice consilio communire, & confirmare studuerunt; ut, quæ se Christo dicaverint, & à carnali concupiscentia recedentes, tam carne, quam mente se Deo voverint, consummum opus suum magno premio destinatum.

**S. 1.** Quoniam autem, eti providas hujusmodi Sanctiones, Constitutionesque, si ea, qua decet, regularis disciplinæ observantia custodirentur, satis esse scimus, ut Virgines ea, quæ Cœlestis carumdem Sponsi Iesu Christi sunt, cogitantes, sint sanctæ & corpore, & spiritu; longa tamen experientia edocti, & affiduis Venerabilium Fratrum aliarum Ecclesiarum Antistitutum querelis admoniti, supremas Apostolicæ auctoritatis providentiaeque partes requiri, ut abusibus quamplurimis ex nimia quorumpcumque, aut sibi quocumque pacto arrogantium, aut prætentientium, aut obtendentium facultatem alias sibi quomodolibet, sive à jure, sive ab homine concessam, vel demandatorum numerum ratione debitam esse, ut sive ipsi, sive alii, ingredi clauſoram Monialium, aut ipsæ Moniales è clauſora ob qualcumque etiam non legitimas causas egredi, & extra clauſoram hujusmodi commorari possint, licentiam concedendi, indulgentiæ sensim inveniæ, opportune occurratur.

**S. 2.** Hinc est, quod Nos, pro supra omni Christifidelium procuratione imbecillitati nostræ in universalis Orthodoxæ Ecclesia regimine divinitus impedita, opportunum abusibus hujusmodi remedium, quantum cum Domino possumus, adhibere satagentes; Auctoritate Apostolica, tenore praesentium, omnes, & singulas Constitutiones à Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris, tam ante, quam post Concilii Tridentini Decreta, super clauſura Monialium editas renovamus, & confirmamus, nec non imposterum ab omnibus, & singulis, ad

quos spectat, & in futurum spectabili, sub iisdem penis in Constitutionibus eorumdem Prædecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum, & Decretis Concilii Tridentini præfati contentis, inviolabiliter observandas esse statuimus, decernimus, præcipimus, atque mandamus.

**S. 3.** Præterea motu proprio, & ex certa scientia, ac matuera deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, carumdem praesentium tenore; omnia, & singula induita, privilegia, prærogativas, facultates, licentias, & quocumque alio pacto nuncupatas concessiones, omnibus & singulis quibuscumque Ecclesiasticis personis, quacumque auctoritate, dignitate, honore, præminentia, ac juridictione fungentibus, etiam Venerabilibus Fratribus Nostris Sancta Romana Ecclesiæ Cardinalibus, sive singulis, sive eorumdem Cardinalium Congregationibus, etiam de Latere Legatis, sive, qui Provinciis, & Legationibus Statutis Nostri Ecclesiastici pro tempore præfunt, sive quos ad Carissimos in Christo Filios Nostros Romanorum Regem in Imperatorem pro tempore eligendum, vel electum, Reges & Reginas illustres, aliasque Summas Potestates, prout rerum conditio posulaverit, miti & alegari contigerit; sive qui, licet aliarum insignium Ecclesiasticorum Antistites, tamen tamquam Apostolicæ hujus Sanctæ Sedis Legati de Latere alias nuncupati, & habitu sunt, & fortasse habentur, aut haberi, & esse prætendunt, & imposterum habendi sunt; sive Ordinarii, sive Extraordinarii Nostri, & ejusdem Apostolicæ Sedis ubicunque, etiam apud ipsos Imperatorem, & Reges, ac Summas Potestates Nuntii, sive Interdicti resident (exceptis dumtaxat locorum Ordinariis, iisque omnibus Superioribus, quibus tamquam Ordinariis, & ordinaria jurisdictione utentibus, Monialium Monasteria subiecta, & addicta sunt, in casibus tamen necessariis, & servatis aliis de jure servandis, & non alter omnino), ac demum quibuscumque alii quocumque nomine, & expressione nuncupatis personis, quocumque tempore, à quibusvis, etiam ab ipsis Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris, quacumque de causa, occasione, titulo, colore, & prætextu, per quacumque Apostolicas, sive in simili forma Brevis, sive sub Plumbo expeditas Literas, sub quibuscumque verborum formis facta, data, concessa, & impedita, sive facta, datas, concessas, & impeditas, super hujusmodi ingressu, revocamus, abolemus, annulamus, atque irritamus; necnon à datarum earumdem praesentium die revocata, abolita, annullata, & irrita, ac nullius prorsus momenti, ac vigoris esse, & fore, neminiq; cuilibet quocumque tempore suffragari;

**S. 4.** Ac quemlibet omnium antedictorum, etiam speciali mentione dignorum, quacumque facultate hujusmodi, sive pro se, sive pro aliis temere uti audentem, ipso facto, absque ultra alia declaratione, penas, & Ecclesiasticas censuras contra violantes Clauſoram Monialium infictas, à quibus, præterquam à Nobis, & pro tempore existente Romano Pontifice, nisi in mortis articulo, absolvit possit, incurrire, & incursus esse; licentiamque hujusmodi concessam nullo modo suffragari, atque nullius momenti, perinde ac si maius concessa fuisset, ipso facto fore, & haberi, ac penas, & censuras Ecclesiasticas ipso etiam facto, ut præmititur, per contrafacientem incurri, & incursus esse, statuimus, decernimus, ac declaramus.

**S. 5.** Decentes easdem praesentes Literas, & in eis contenta quacumque, etiam ex eo, quod quicunque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætentient, cujusvis status, gradus, ordinis, præminentia, & dignitatis existant, seu alia specifica, & indivi-

Admit, &  
revocat fa-  
cultates di-  
ſpensandi  
quibuslibet  
concessas.

Salva audio-  
ritate Ordin-  
arium.

Uſum facili-  
tatum hujus-  
modi ſub  
Cenſuris in-  
terdicti, &  
irritu de-  
cermit.

Clauſula  
præferati-  
va, & de  
perpetuo  
prætentium  
vigore.

dua

dua mentione, & expressione digni, illis non confenserint, nec ad ea vocati, citati, & audi, causæque, propter quas præsentes emanarint, suf-  
ficienter adductæ, verificate, & justificatae non  
fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis  
juridica, & privilegiata causa, colore, pra-  
textu, & capite, etiam in corpore juris clau-  
so, etiam enormis, enormissima, & totalis  
lesionis, nullo umquam tempore de subreptionis,  
vel obreptionis, aut nullitatis vitio, aut  
intentionis Nostræ, vel interesse habentium con-  
sensus, aliœ quomodolibet, etiam quantumvis  
magni, & substantiali, ac incogitato, &  
inexcogitabili, individuamque expressionem re-  
quirent defœctu notari, impugnari, infringi,  
retractari, in controversiam vocari, aut ad ter-  
minos juris reduci, seu adversus illos aperitionis  
oris, restitutionis in integrum, aliudve  
quocumque juris, facti, vel gratiæ remedium  
intentari, vel impetrari, aut imperato, seu  
etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine  
paribus concesso, vel emanato quempiam in  
judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo  
modo posse; sed ipsas præsentes Literas sem-  
per firmas, validas, & efficaces existere, & for-  
re, siusque plenarios, & integros effectus for-  
tiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat,  
& pro tempore quocumque spectabit, in-  
viabiliter, & inconcussè observari: sicutque  
& non aliter in præmissis per quocumque Ju-  
dices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cau-  
sarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ  
Romana Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere  
Legatos, & Sedis prædicta Nuntios, aliosve  
quoslibet quacumque præminentia, & potesta-  
te fungentes, & functuros, sublata eis, &  
eorum cuiilibet quavis alter judicandi, &  
interpretandi facultate & auctoritate, judicari,  
& definiri debere, ac irritum, & inane, si secus  
super his à quoquam quavis auctoritate scilicet,  
vel ignoranter contigerit attentari.

Sublata cui-  
libet fecus  
judicandi, &  
interpretan-  
di facultate.

Derogatio-  
nes amplifi-  
cantes.

§. 6. Non obstantibus præmissis, ac, qua-  
tenus opus sit, Nostra, & Cancelleria Aposto-  
lica Regula de jure quæsto non tollendo, aliisque  
Constitutionibus Apostolicis, necnon quibusvis,  
etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel  
quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consu-  
tudinibus, ac usibus, & stylis, etiam imme-  
morabilibus; privilegiis quoque, indulxit, &  
Literis Apostolicis prædictis, aliisque, quibuslibet  
personis, etiam quacumque Ecclesiastica, vel  
mundana dignitate fulgentibus, & alias quo-  
modolibet qualificatis, ac speciale expressione  
requirientibus, sub quibuscumque verborum  
tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam deroga-  
toriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus,  
efficacissimis, & insolitis clausulis, ac irri-  
tantibus, & alijs decretis, etiam motu, scientia,  
& potestatis plenitudine similibus, ac consisto-  
rialiter, & alias quomodolibet in contrarium  
præmissorum concessis, editis, factis, ac pluries  
iteratis, & quantiscumque vicibus approbatis,  
confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, &  
singulis, etiam pro illorum sufficienzi deroga-  
tione de illis, eorumque totis tenoribus specia-  
lis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo  
ad verbum, non autem per clausulas genera-  
les idem importantes, mentio, seu quavis alia  
exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores  
hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil pen-  
itus omisso, & forma in illis tradita, observata,  
exprimentur, & inserventur, præsentibus pro  
plenè, & sufficienter expressis, & insertis haben-  
tes, illis alias in suo labore permanens, ad  
præmissorum effectum, hac vice dumtaxat spe-  
cialiter & expressè derogamus, ac derogatum esse  
volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 7. Volumus autem, ut earumdem præsen-  
tium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam

impressis, manu alicujus Notarii publici subscrip-  
tis, & sigillo persona in Ecclesiastica dignitate  
constituta munis, eadem prorsus fides in Judi-  
cio, & extra illud ubique locorum habeatur,  
que haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibi-  
ta, vel oftenfa.

Datum Roma apud S. Mariam Majorem, sub  
Anno Piscatoris die IIII. Januarii MDCCXLII.  
Pontificatus Nostri Anno Secundo.

Dat. die 3.  
Jan. 1742.

D. Card. Passioneus.

Publicat. die 5. ejusdem mensis, & anni.

Indultum pro celebratione Missarum super Tri-  
remibus Militia Hospitalis S. Johannis Hiero-  
solymitani.

### B E N E D I C T U S P A P A X I V.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

E X P O N I Nobis nuper fecit Dilectus Filius  
Magnus Magister Hospitalis Sancti Johannis  
Hierosolymitani, quod ipse, considerans tam  
Frates Milites, quam Officiales, Nautas, &  
Turman Catholicam, qui super Clave Trire-  
mum Hospitalis præfati reperiuntur, tempore  
expeditionum, præsertim in Littore Maris Africi,  
& Lybici, aliisque partibus communis Christiani  
nominis hosti subiectis, longo tempore, & mul-  
titudines in solemnioribus anni Festis diebus, prout  
etiam quando in oris maritimis Catholicorum  
Principum, & in illorum portibus existunt, tum  
propter anni tempestates fibi adversas, quæ mi-  
nime permitunt tenterium in terra figere, &  
obtendere, sub quo Sacrosanctum Missæ Sacri-  
ficium celebrari possit, tum propter distantiam  
Terræ firmæ, Sacrosanctum Missæ Sacrifictum hu-  
jusmodi audire non posse; ut incommodes, &  
inconvenientes hujusmodi, ne pietas, & devo-  
tio Fratrum, Subditorumque ejusdem Hospitalis  
minuantur, occurri possit, idem Missæ Sacri-  
ficium in Triremibus prædictis celebrari posse plu-  
rimum desiderat: Nobis propterea dictus Mag-  
nus Magister humiliter supplicari fecit, ut in  
præmissis opportune providere, & ut infra in-  
dulgere de benignitate Apostolica dignarem-  
ur.

§. 1. Nos igitur piis dicti Magni Magistri  
votis hac in re, quantum cum Domino possumus,  
favorabiliter annuere, eumque specialibus  
favoribus, & gratis prosequi volentes, & à  
quibusvis excommunicationis, suspensionis, &  
interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, cen-  
suriis, & penis, à jure, vel ab homine quavis  
occasione, vel causa latis, si quibus quomodo-  
libet innodatus existit, ad effectum præsentium  
dumtaxat consequendum, harum serie absolventes,  
& absolutum fore censes, hujusmodi  
supplicationibus inclinati, moderno, ac pro  
tempore existenti Magno Magistro, & Dilectis  
Filiis Confilio Hospitalis præfati, petitam facul-  
tatem celebrari faciendo Sacrosanctum Missæ Sacri-  
ficium hujusmodi, tum tempore navigationis,  
quo Triremes hujusmodi anchoratæ sunt, in qui-  
busvis oris, litoribus, & portibus, habitatis,  
& non habitatis, & dummodo celebratio Missæ  
hujusmodi eo tempore, quo mare tranquillum,  
& Cœlum serenum reperiatur, & cum assisten-  
tia alterius Presbyteri, seu Diaconi, fiat; itaut  
periculum effusionis Sanguinis in dicta celebra-  
tione minime adsit; auctoritate Apostolica te-  
nore præsentium concedimus, & indulgemus.  
Non obstantibus Constitutionibus, & ordina-  
tionibus Apostolicis, ceterisque contrariis qui-  
buscumque.

Summarium  
precum, &  
rationum.

Pontifex  
annuit.

Cum condi-  
tionibus op-  
portunis.